



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Scylla Symbolum animæ corpori conjunctæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Charybdis & Scylla, vitia sunt duo immania, hujus vitæ fretum exitabile, infestumque reddentia præternavigantibus; hinc *Luxuria*, illinc *Gula*. Illa Scyllæ instar, nautas incautos, fallaci formæ lenocinio pertrahit, complexosque, plus quam canina rabie; furoréque lupino angit, torquet, discruciat, perdit. Hæc, ceu Charybdis altera, & nunquam exsatiata vorago & gurgis, dilapidat rem domesticam, patrimonia deglutit, exhaurit latifundia, thesauros devorat, absorbet omnia. Confinita sunt, & ex adverso sita hæc vitia duo, quemadmodum Charybdis & Scylla; imò non ex adverso, sed quasi facto fœdere, nunquam non conjuncta grassantur. Nec enim facilè reperias hominem, gulæ insignitum infamiâ, qui non idem sit oblitus fœdissimarum voluptatum cœno, addictusque turpissimis ac flagitiosissimis libidinibus. Hæc iste.

(e) Mythologus: crediderunt, inquit, alii, hanc fabulam ad moderationem sumptuum spectare; quippe cum incauti in fœnus incidant, tanquam in Scyllæum fretum, unde omnia facultatum uno tempore postea fit jactura. Hoc ego confirmo Tullii verbis, qui in oratione de haruspicio responsis. Quam denique tam immanem Charybdis poëtæ fingendo exprimere potuerunt, quæ tantos exhaurire gurgites posset, quantas iste Byzantium, Brogitanorumque prædas exorbuit? Idem Philippic. 2. in Anton. Quæ Charybdis tam vorax: Charybdis dico? quæ si fuit, fuit animal unum. Oceanus medius fidius vix videretur tor res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse. Horatius verò per Charybdis intelligit libidinem lib. 1. Od. 27.

Quanta laboras in Charybdi!

Digne puer meliore flamma.

Quid enim sævius & rapacius, quam fœda voluptas, quæ gurgitis instar rotat & circumagit animum in Veneris Concha navigantem; donec demergat, & absorbeat infelicis æternitatis abyssu sepultum?

V. (f) Quarta est Cœlii Rhodigini lib. 18. c. 3. de Scylla, his verbis. Prima hominis pars, rationalis anima, huic committitur inutilis caro, & fluida, & receptandis tantum cibus habilis, ut ait Possidonius. Virtus illa divina in lubricum desinit, & superioribus partibus venerandis atque cœlestibus, animal iners, & marcidum attexitur: quodque horribilius est, captivam ducit rationem. Plurimis corpus voluptati est, anima oneri: quamvis illud natura, ut quandam vestem ac velamentum circumdederit animo. Ex hac voluptaria officina, mirum est, quanta se promant fœditatum agmina, quæ libidinum turpitudò.

V. (g)

(e) Prodigalities. (f) Scylla significat corpus & animam.